

tus aliud convenientius aut commodius his qui sunt infirmitate et miseria circumdati : nescio si Spiritui sancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opere tanta tamque parata nobis suppetat materia, sicut in gemitu et planctu nostri : nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primum circa infirmos, quorum curam suscipit, operatur medicina sancti Spiritus, qui est illuminatio nostra et salus nostra, ut videlicet se ipsum phreneticus sentiat et sciat, et conversus ad cor dicat Domino cum propheta : *Postquam convertisti me, ego penitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* (Jerem. xxxi, 19). Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem : nisi doluerit non meretur consolationem. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. v, 5). Puto quia nec in Apostolis hodie locum invenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filii sponsi, cum sponsus ablati esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos* (Joan. xvi, 7). Nisi desolati fueritis presentia mea corporali, non vos consolabitur visitatio spiritualis. *Date*, inquit, *siceram moerentibus, et vinum his qui amaro animo sunt*, non scilicet illis qui ebrii sunt gaudio et luxu sæculi. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? nunquid bibere possunt calicem Domini, et calicem dæmoniorum? *Bibant*, inquit, potius pauperes Apostoli, et *obliviscantur egestatis suæ* (Prov. xxxi, 6, 7), ut dicant : *Sicut egestes multos autem, locupletantes* (II Cor. vi, 10), *Bibant moerentes de absentia sponsi, et dolorum non recordentur amplius, sed dicant :*

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

1013 SERMO I.

De laudibus sancti.

1. Ah! Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ago sum (Jerem. i, 6). Fratres, si Jeremias, sicut ex lectione audistis hesternæ, ne prædicationis susciperet officium, verecundius quam justius minorem causabatur ætatem, quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex utero, et quem manifesta divina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior, mihi quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, nihil non erit puerilitas mea? Verumtamen tu, puer propheta Altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officii, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi,

Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus (Id. v, 16). Nam et te ipsum, si pio affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper et dolens* (Psal. lxxviii, 30), sic ditabit, sic, lætificabit sobria ebrietas hujus præclari calicis, ut, etsi pauper sis, paupertas animum non urat; et si dolebas quia peccasti, jam peccati reatus conscientiam non mordeat.

6. Vide autem, si non et ipse Spiritus sanctus in judicium venit in hunc mundum, ut qui dolent non doleant, et qui rident, æterno et inconsolabili se luctui tradant. Melius est igitur ire ad domum luctus quam ad domum convivii (Eccli. vii, 3). Et revera sapiens, etsi aliquando consolationem meretur, ut dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit, semper tamen ut locum paret consolationibus novis, novas exquirat de se ipso causas doloris; non statim blandiens sibi, quasi jam per omnia justus sit; sed eo subtilior, quo jam illuminari cœpit; eo districtior, quo justificari cœpit, fit accusator et iudex sui. Ei ergo qui ejusmodi est, crebro, nisi fallor, Spiritus consolator advenit, quoniam et adventum jam ipse suum antevenit; adveniens scilicet ut consolationem tribuat, sed anteveniens, ut lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina Spiritus et ordine primus, et utilitate invenitur præcipuus; quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia justorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum quæ nunc sunt, et gaudiorum quæ futura sunt; ad quæ nos perducatur qui vivit et regnat par omnia sæcula sæculorum. Amen.

quin saltem gestiamus more puerorum de te quomodo balbutire; qui etiam in materia leviori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit, o vox Verbi, vox sapientiæ, tibi devotæ solvere vinculum linguæ, qui necdum loquens, usum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fenore magno rediit intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, ut videlicet uterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogativa filii.

2. Qui enim propheta, et plus quam propheta futurus erat, imo ante prophetare quam profari, prius Deum quam se ipsum sentire cœperat, parentes quoque suos prophetas faciebat; et in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui et gratiæ superabundantiam refundebat. Nam et Elisabeth, postquam exsultavit in gaudio

infans in utero ejus, tunc et ipsa prophetavit repleta Spiritu sancto; quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini presentiam exultatione manifesta revelavit. Salutabat Salvatorem motu, quo poterat, et in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inestimabilis divinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Joannis penetrat, qui abstrusus intra materna lactebat viscera, spiritum ejus animat, gaudioque salutari vegetat; et cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ plenior infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filii copiose videatur in matrem refundi. Vere gratia plena Maria: manifeste Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia tam copiose, tam magnifice, principaliter in Matrem, de Matre in Joannem, de Joanne in parentes, gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, et fons vitæ et gratiæ oriebatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.

3. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Joannem loquor, consobrinum et amicum sponsi, præcursorem, Baptistam, et martyrem Domini: ideoque nimirum uberius irrigata in tantum exerevit, ut inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inveniri. Omnino Salvatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis conjunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloria annuntiationis, novitate navitatis, sanctitate pene originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat. Denique si alia cessarent omnia, si cuncta de eo silerent prophetarum præconia; solius gratia nominis ejus (9), quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur, satis abundeque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat ut gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret, et gratia non mediocri emereret, qui gratiæ tempus a tempore legis velut medius limes disterneret. Usque ad Joannem enim Lex et Prophetæ prophetaverunt (Luc. xvi, 16); qui videlicet primus ostendit presentem, quem Lex et Prophetia promiserant venturum.

4. Merito igitur nativitas hujus pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum **1014** natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat repascendi. Merito nativitatem istam, quam mirabiliter operatur gratia, miraturque natura, solemniter veneratur, Ecclesia: præsertim cum singularis illius nativitatis, cujus gratia naturam reparavit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratus se probat Ecclesia, non immemorem: fideliter agnoscit qua devotione, qua gratiarum actione suscipere debeat Præcursorem, per quem ipsum agnovit Salvatorem. Mihi plane novo nascitur gaudio lucerna mundi,

(9) Joannes enim gratia Dei interpretatur.

cujus indicio lucem veram agnovi lucentem in tenebris, sed non comprehensam a tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio, cum quo tot et tanta mundo nascuntur bona; qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per penitentiam inibat, per baptismum præparat, præparatam Christo designat et copulat; et quam ad vivendum temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat.

5. O fratres, quorum propositum est (utinam et ita desiderium) ad perfectionem festinare; quam cito christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accommodaret docibilem: cujus etiam prima elementa justitiæ modum supergressa sunt perfectionis humanæ; cujus rudimenta primævæ ætatis gravitatem sapientiæ vicere senilis! Qui enim, antequam natus, sanctus fuit, quid mirum si in processu conversationis plus quam sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non possumus sanctitatem tuam, sanctorum sanctissime: omnino necesse est ut, qui de publicanis et peccatoribus plebem perfectam Domino parere festinas, humanius eis loquaris quam vivas; et modum perfectionis non secundum vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis temperes humanæ. *Facite*, inquit, *dignos fructus penitentiae* (Matth. iii, 8). Nos quidem, o fratres, gloriamur perfectius loqui, quam vivere: Joannes autem sublimius vivens quam possint homines vel intelligere, loquitur tamen eis prout possunt audire. *Facite*, inquit, *fructus dignos penitentiae Humanum*, inquit, *dico, propter infirmitatem carnis vestræ* (Rom. vi, 19) Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium penitudo malorum. Si nondum facere prævaleis perfectæ fructus justitiæ, sit interim hæc vestra perfectio, ut faciatis dignos fructus penitentiae.

6. Si recordari volumus, fratres, lectionis hesternæ, ad dignos fructus penitentiae pertinet quod Jeremiæ, aut certe Joanni sub typo Jeremiæ dictum est, *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas*: ad fructus justitiæ, *ut ædifices et plantes* (Jerem. i, 10, et xviii, 7). Beatus qui manus hujus extirpatoris adjuverit (nam ipse Dei adjutor est), qui videlicet cooperans verbo et gratiæ Dei, in hoc studium et operam dedit ut evellat et disperdat de affectionibus et moribus suis omnem plantationem quam non plantavit Pater cœlestis, destruat et dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ et confusionis; ut postmodum melius ædificet et plantet, fiatque sicut scriptum est, *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus* (Isa. ix, 10). *Ascendat abies pro salivuncula, et myrtus pro urtica* (Id. lv, 13): omnis scilicet pulchritudo et gratia virtutum, pro situ et horrore vitiorum. Quis, putas, est ille tam perfectus in nobis, ut saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita

digne perfecteque poenitens sit, ac tota severitate damnet mala sua quae fecit, prioribus usquequaque renuntians vitiis, ut omne germen maledictionis radicitus evellat et disperdat de agro cordis, ita ut de radice pessima, nullus amplius germinet fructus amaritudinis; quique semel ita destruat ac dissipet omnem altitudinem extolentem se adversus humilitatem Christi, ut iterum non reaedificet quae destruxit? Quam felix hodie esset Ecclesia sanctorum, quanta pace et gratia florent congregationes beatorum pauperum, si fructus istos quos facere debuerat, rudium poenitentia, vel eorum qui perfecti et sancti videri volunt, afferret justitia! Denique, qui nec justitiam sanctorum, nec exactam habemus poenitentiam peccatorum, redimamus vel ex parte aliqua teporem **1015** nostrum devota veneratione sanctorum: praecipue beati Joannis, cujus tam magnifice sanctitas effloruit supra modum aliorum, ut crederetur Sanctus sanctorum. Magnificentiam gloriae sanctitatis ejus loquamur ac meditemur, fratres mei, ut propitium faciat peccatis nostris eum, cujus singulariter amicus esse meruit, Filium Dei, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO II.

De vi necessaria ad rapiendum regnum caelorum.

1. *A diebus Joannis Baptistae regnum caelorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (Matth. xi, 12).* Merito igitur laeta nobis est ejus nativitas, cujus tam fausta sunt tempora, ut regnum Dei, jam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus utique justitia non sufficiebat ad promerendum. Merito multi in nativitate ejus gaudent, sicut promittebat angelus; sub quo tanta felicitate mutatus est temporum status, ut regnum Dei quod ante nulla innocentium obtinebat justitia, nunc poenitentium invadat et possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici poenitentia peccatorum, nisi violentia in regnum caelorum? An non violentia est, rapere virtute quod non erat concessum naturae; ut qui natura erant filii irae et gehennae, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in haereditatem sanctorum et consortium gloriae? An non plane violentus Deo strenuus ille luctator patriarcha Jacob, qui, ut scriptum est, contra Deum fortis fuit et invaluit, qui cum eo luctatus usque mane, constanter et obnixie tenebat rogantem dimitti, *Non dimittam te, inquiens, nisi benedixeris mihi?* Dico quia cum Deo luctatus est: Deus siquidem erat in angelo, cum quo luctatus est. Alioquin nec angelus diceret, *Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?* nec Jacob diceret, *Vidi Dominum facie ad faciem (Gen. xxxii, 26, 29, 30)*: sed neque Dominus de Jacob diceret per Osee prophetam, *in Bethel locutus est nobiscum (Osee xii, 4)*. Bona igitur violentia, quae benedictionem extorsit: felix lucta, qua Deus homini succubuit, victusque victorem gratia benedictionis et honore sanctioris nominis muneravit! Quid enim, si tetigit nervum femoris ejus, et emarcuit, ac de cae-

tero claudicavit? Facilis jactura corporis damnumque consolabile, quod tanto compensatum est munere: praesertim illi qui potuit dicere, *Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam (Sap. vii, 10)*. Utinam marcescat in me non solum nervus femoris, sed virtus totius corporis; dummodo vel unam merear benedictionem angeli. Utinam non solo claudicem cum Jacob, sed et moriar cum Paulo, ut gratiam et nomen Israelis obtineam munere perpetuo. Jacob quidem femur gerit marcidum, Paulus vero, corpus emortuum quia mortificationem membrorum, quam cepit propheticae religionis initium, ad integrum consummavit Evangelium. Jacob claudicans, quia ex parte quae mundi sunt cogitans, alterum pedem a terra suspensum portat. Paulus cogitans solum quae Dei sunt, sive in corpore, sive extra corpus, nescit, Deus scit (*II Cor. xii, 3*), totus tamen in spiritu liber ad caelum volat.

2. Vobis itaque dicimus, fratres, qui aggressi estis caelum rapere, qui congressi estis luctari cum angelo qui viam custodit ligni vitae: vobis, inquam, dicimus omnino necesse esse ut constanter et irremisse luctemini; non dico usque ad enervationem femoris, unde generatio propagatur carnis, sed etiam usque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu et beneficio divinae virtutis, cum vestram videlicet constantiam invincibilem sibi probaverit. Sic enim scriptum: *Cumque videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit! (Gen. xxxii, 25)*. An non tibi cum angelo, imo cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie praeproperis tuis resistit votis? Lavaris velut aquis nivis, ut mundus sis corde et corpore, et ipse sordibus intingit te. Dicis, *Sapiens efficiar (Eccle. vii, 24)*, et ipse longius recedit a te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, et repellit te. Decernis rem, et in contrarium tibi cedit, et per omnia fere in duritia manus **1016** suae adversatur tibi. O dissimulatrix clementia, quae duritiam te simulat; quanta pietate pugnas adversus eos pro quibus pugnas! Licet enim haec celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, et immensa multitudo dulcedinis tuae, quam abscondis timentibus te. Noli igitur desperare, constanter age, felix anima, quae cum Deo luctari coepisti: amat utique vim abs te pati, desiderat a te superari. Nam et cum iratus est, manumque ad feriendum extendit, quaerit, ut ipse confitetur, virum similem Moysi, qui resistat sibi: et si non invenerit, conqueritur et dicit: *Non est qui consurgat, et teneat me (Isai. lxiv, 7)*. Nam si implacabilis sit ejus ira, inflexibilisque sententia, flebit et dicit Jeremias qui resistere tentaverat: *Fortior fuit, et invaluit (Jerem. xx, 7)*.

3. Sed absit, fratres, qui placita ei postulatis, absit ut fortis adversum vos sit, qui pro vobis infirmari usque ad mortem voluit? Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est; unde,

quaeso, virtus ei esse potest ad resistendum illi charitati, quae veluti victum et captum per omnia genera infirmitatum usque ad mortem, mortem autem crucis perduxit? Jam non fortis ut mors, sed fortior quam mors dilectio: cum virtute dilectionis infirmata sit usque ad mortem Dei fortitudo; cujus tamen infirmitas fortior inventa est omni fortissimo; cujus mors probata est esse mors tua, o mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis, quicumque es ille pius invasor, qui rapere contendis regnum caelorum: et securus esto, quia facile vinces regem ipsum caelorum. Si qua enim videtur tibi adversari difficultate, aut duritia; ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat. Nempe ut contrarietate ipse tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimatorum ac fortium; ut vires exercitet, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas.

4. Quamobrem accingimini, filii Israel, et estote filii fortitudinis: non enim opus est nisi magnanimitate et constantia, quae nullis possit terri adversis. Infirmus dicat, Fortis sum: et praegaudium spei se nesciat infirmum, cui tam facile jam jamque capiendum est caelum. Plane caelum violenter rapit, qui imbecillitati suae vim facit, aut aetati. Imo, ut magis proprie loquar, plane vim facit propriae perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. *Homo enim in laboribus, ut Scriptura ait, laborat sibi, et vim facit perditioni suae (Prov. xvi, sec. LXX)*. Accingimini, inquam, viri virtutis, et sequimini ducem ac magistrum felicis hujus militiae; Joannem Baptistam loquor, a diebus cujus caelum esse coepit expugnabile. Iste siquidem est, qui velut alter David princeps factus latronum, piorumque ductor praedonum, et victoriosum illum exercitum publicanorum et peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violentiam post se induxit in regnum caelorum. Quis enim scelestus aut profanus tubam ejus audivit, *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum (Matth. iii, 2)*; et non se continuo praeparavit ad bellum? Sequimini, inquam, ducem istum, cujus vexilla proprio rutilant sanguine, cujus hodie virtutes ac triumphos debita decantastis veneratione. Ipse, nisi fallor, quos post se traxerit exemplo, juvabit merito, commendabitque suffragio, cum inter natos mulierum nullus sit acceptior regi summo Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO III.

Iterum de laudibus Sancti.

1. *Internatos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (Matth. xi, 14)*. Salomon ait: *Laudent te labi proximi tui (Prov. xxvii, 2)*. Sed quam felicis et gloriosius, cum laudant quempiam labia Dei sui! Deus quippe nec falli potest, nec adulari. Deus neminem facile laudat, quem laude posse inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari praevideat. Homini quidem recte dicitur, ne laudet hominem in vita

PATROL. CLXXXV.

sua; cujus sicut scire non potest intima, si nec praescire novissima; cum de seipso quoque confiteri **1017** habeat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (I Cor. iv, 4)*. Sunt enim justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt et tamen nemo scit utrum sit dignus amore an odio, seu omnia in futurum servantur incerta (*Eccle. ix, 1, 2*). Felix igitur, qui testimonio ipsius Judicis dignum se amore scire meruerit; nisi quod testimonium justitiae praesentis, mutabilitati humanae suspicionem ac metum non adimit de futuris. Inadubitabile tamen eximiae virtutis et magnae perfectionis est indicium, quoties hominem adhuc corruptioni subditum, suae suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur judicium. Magnum profecto justitiae praeconium quod summa justitia dicit ad Noe: *Te vidi justum coram me (Gen. vii, 1)*. Magni quidem insigne meriti, quod Abrahae testificatur Deus, propter ipsum implendas esse promissiones, quae ad ipsum factae sunt (*Gen. xvii, et xxii, 17, 18*). Quantae autem illud est gloriae, quod de beato Job Dominus gloriatur adversus invidum: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra; homo simplex et rectus, et timens Deum, ac recedens a malo (Job. i, 8)*. Quantae etiam illud erat gratiae, quod pro Moysae aemulabatur et confundebat aemulos ejus? *Si quis inquit, fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, et palam, non per aenigmata videt Deum. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? (Num. xii, 6-8)*. Quis vero in omnibus sicut David, de quo gratulatur Dominus, quia invenit virum secundum cor suum? (*III Reg. xi, 4*).

Verumtamen quantumlibet magni fuerint sive isti, sive alii; nec inter istos, nec inter alios natos mulierum, teste Nato Virginis, surrexit major Joanne Baptista. Nam etsi stella differat a stella in claritate, et in choro sanctorum siderum, quae ante exortum veri Solis illustrarunt noctem hujus saeculi, quadam effulserunt claritate mirabili; nullum tamen in omnibus majus aut splendidius lucifero isto, lucerna scilicet ardenti et lucenti, quam Pater Christo suo paravit: lucifero, inquam, praelucanae lucis, qui praecursor Solis diem instantem mortalibus nuntiavit; dormientibus in tenebris et umbra mortis clamitans et dicens: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum (Matth. iii, 2)*. Ac si diceret: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit; abjicite opera tenebrarum (Rom. xiii, 12)*. *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephes. v, 14)*. 3. Non est autem negligenter praetereundum, sed etiam atque etiam considerandum, quam sublimis meriti, quam excellentis gratiae et virtutis, oculus ille quem nil fallit, eum perviderit, qui post tanta praecedentium praeconia, hanc de illo sententiam tulit: quod *inter natos mulierum, nullus*

illo major surrexit; nec nisi de ordine Angelorum, vel qui pervenisset ad aequalitatem Angelorum, aliquid ei præferendum judicavit. Nec semel quidem, aut perfunctorie vel breviter laudem ejus attingit, sed quotiescunque se offerebat occasio sermonis, laudibus ejus delectabatur immorari: quod satis probat historia Evangelii. Propterea Marcus quoque, Lucas et Joannes initia librorum præconiis ejus dedicaverunt; ut videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte prælati, totum deinceps commendabilius redderet Evangelium; et lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens et lucens perducere ad lucem, quæ lucebat in tenebris, sed a tenebris nequibat comprehendere. Matthæus enim, quia eum nativitas Domini in initiis occupatum tenuit, mox ut puerum nutriendum Nazareth commendavit, ad Præcursores et Baptistam ejus stylium convertit, arbitrans imperfectum fore quicquid de Sponso diceret, si de individuo amico Sponsi reticeret. Hæc namque cura non minima fuit, non solum Evangelistis narrantibus, sed etiam Prophetis et Angelis prænuntiantibus, ut lucerna Christi, testis Domini talis induceretur, cujus splendore et auctoritate inimici facile confunderentur, et ex cujus magnitudine incomparabilis Altissimi magnitudo manifeste monstraretur. Cum enim maximus inter natos mulierum Natum Virginis testabatur tam longe magnitudinem suam vincere, ut indignum se longe magnitudinem suam vincere, ut indignum se confiteretur ejus calceamenta portare: quid aliud dabatur intelligi, nisi quia ille erat **1018** magnus Dominus, cujus magnitudinis non est finis (Psal. CXLIV, 3); et de quo dicitur: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei* (Psal. LXXXVIII, 7). Et hæc utique illa magnitudo Joannis fuit, qua inter magnos tam magnus excrevit, quia videlicet virtutes suas magnas et innumeras, quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulavit sibi; cum putaretur summus omnium, ultro ac devotissime præferens humillimum omnium et in tantum præferens, ut calceamentis ejus detrahendis se testaretur indignum (Luc. III, 16).

4. Mirentur igitur alii, quod a Prophetis prænuntiatus; quod ab archangelo promissus, et eodem quo Christus; cum tamen Christus in cubiculo, Joannes in oraculo; quod de tam sanctis ac nobilibus parentibus; quod de sonibus et sterilibus, contra debitum naturæ, dono gratiæ; quod ante sanctus quam natus; ante propheta, quam prophetaret; quod plus quam propheta, quia angelus angelicum officium vitamque gerens in terris, in carne præter carnem vivens; et licet innocentissimus, poenitentiam tamen formam plus exemplo quam verbo tradens; quod in spiritu et virtute Eliæ præcurrens adventum Redemptoris, et viam ei parans in eremo; quod corda patrum ad filios, et filiorum ad patres convertit; quod Filium baptizare, Patrem audire, Spiritum sanctum videre meruit: quod denique usque ad mortem pro veritate cer-

tavit: ut etiam ad inferos Christum præcurreret; ante passionem Christi, martyr Christi fuit. Mirentur, inquam, hæc alii, si tamen est qui digne possit mirari: nobis, fratres, non solum miranda, sed et imitanda proponitur virtus humilitatis ejus, qua major se credi, cum potuit, noluit; imo credentes ne errarent, quantum valuit compescuit. Fidelis enim amicus Sponsi, magis amator Domini sui, quam sui; se minui, ut ille cresceret optabat, et de minoratione sui gloriam illius augere satagebat (Joan. III, 29, 30), ante Apostolum opere et veritate dicens illud apostolicum: *Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Jesum Christum* (II Cor. IV, 5). Ideo nimirum magna est gloria ejus in salutare tuo, in Jesu tuo, Domine, cujus justitiæ et bonitatis est diligentes se diligere, est glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria ejus in Jesu, magna a Jesu: qui et apud se glorificavit eum consortio gloriæ suæ, et apud homines testimonio vocis suæ. Persuasum sibi habebat Joannes illud fidele Sapientis consilium: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur: non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* (II Cor. X, 17, 18). Maluit itaque in Domino sane, quam in seipso vane gloriari; quia et maluit veraciter a Domino, quam fallaciter a seipso commendari. Ideo probatus est Deo et hominibus; et gloria ejus veritas apud homines, felicitas apud Deum: qui si seipsum glorificasset, gloria sua nihil esset.

5. O filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? (Psal. IV, 3.) Ut quid vanam et mendacem gloriam diligitis, et glorium quæ a Deo solo est, non vultis? Sed quomodo quæritis? Utinam agendo fortia, non loquendo sublimia? utinam saltem vera loquendo, licet vane, et non mentiendo plane! utinam denique mentiendo tantum de vobis, non etiam detrahendo de aliis! Hoc jam non est gloriam accipere vel quærere, sed magis furari et rapere. Quærere siquidem gloriam, non sua, sed contraria via; non illa scilicet cui debetur gloria, sed contumelia, id est, non virtutis titulo, sed mendacii et detractionis latrocinio: quid aliud est hoc, nisi rapere, vel furari nequiter, quod concupieris turpiter? Certe si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, jam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nunc autem quid, cum non solum accipis si offertur, sed et quæris cum non offertur? quid denique, cum alium velut trucidas venenosa et insidiosa lingua, ut gloriam ejus tibi rapias; ut de malo ejus tu melior, de contemptu ejus tu gloriosior appareas? Sit ergo illud, gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud, nisi sævientium crudelitas? Sit certe illud, ut mitius loquar, tentatio humana: quid istud, nisi imitatio diabolica? Plane imitantur diabolus qui sunt ex parte illius, id est, omnes superbi. Ipse est **1019** enim rex super omnes filios superbiæ.

6. Quomodo, inquis, imitantur? Diabolus quia superbivit, meliori se, id est, Deo invidit: quia invidit, detraxit. Sic filii superbiæ ejus, mox ut infecti sunt vitio ejus, id est amore propriæ excellentiæ, invident alienæ. Ut cœperint invidere, incipient, si possunt, detrahere, ut scilicet accrescat eis quod derogaverint aliis. Quanto salubrius imitentur humilitatem Joannis, qui detrahebat sibi, ut adderet alii: qui contendeat minor credi quam credebatur, ut alius inciperet apparere quod non putabatur? Denique si non placet humilitas ex sui honestate et æquitate, placeat saltem ex utilitate: quia nulla via rector, aut facilius ad gloriam divinam; sed nec ad gratiam humanam ulla pulchrior aut justior, et sæpe nulla compendiosior: *Quanto*, inquit, *magnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo et hominibus* (Eccle. III, 20, et Philipp. II, 3). Hæc beatum Joannem glorificavit apud Deum et homines, sicut est dies hæc, quæ de nativitate ejus gloriosa consolationem præstat mundo, gaudium cælo, gloriam Deo: cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De fortitudine et mortificatione.

1. *Capit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis videre in deserto?* (Matth. XI, 7.) Ecce illud quod sponsa de sponso gloriatur in Cantico amoris sui, *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi* (Cantic. II, 16): Joannes Jesu, et Jesus Joanni. Joannes Jesum prædicat, Joannem Jesus commendat. Par pari redditur, et tam amica quam justa vicissitudine charitas in invicem provocatur, aut remuneratur. *Ego enim*, inquit Jesus, *diligentes me diligo, et glorificantes me glorificabo* (Prov. VIII, 17). Habet pietas promissionem vitæ quæ nunc est, et futura; et Dominus dilectum sibi quem glorificaturus est in futuro redditione præmii, etiam nunc incipit glorificare redditione [Al. exhibitione] præconiis, testemque suum etiam apud homines proprii sublimat honore testimonii. *Quid existis*, inquit, *videre in deserto?* Vos hominem miramini commorantem in deserto: sed per istum pinguescent speciosa deserti, et florebit solitudo, cum ubique novi cultores eremi de Joannis succrescent exemplo. Tunc erit desertum quasi deliciæ paradisi, et solitudo quasi hortus Domini. *Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli et Saron* (Isai. XXXV, 2). Sed quid, inquam, *existis videre in deserto? arundinem vento agitatum?* (Matth. XI, 7.) Et si moretur in desertis, non est tamen arundo deserti, sed cedrus paradisi, columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute et merito ultra mensuram hominum, conditione citra naturam angelorum.

2. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatit: aut certe cypressus in monte Sion æternæ plantata, altius scilicet quam ut ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus hujus aeris, quia supe-

rior est cunctis cupiditatibus mundi. In cælo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, unde minas et bella vectorum, et cuncta in sæculo adversantia securus irrideat. Irascatur Herodes, insidietur Herodias, de interioribus eorum ebulliat tempestas, ac nequam spiritus procellarum, qui in abyssis cordium eorum cubat, omnes vires suas et argumenta malitiæ commoveat, nihil illum terribit, nihil a sententia movebit, quominus libere nuptias eorum incestas arguat. Quomodo enim flecterent adversa, quem mollire non potuerunt prospera? Flaverunt siquidem aliquando et molles atque blandientes venti, auræ scilicet favoris popularis: sed nec illis a recitidine sua potuit inclinari. Vos misistis ad Joannem et testimonium perhibuit veritati. *Miserunt enim Judæi sacerdotes et levitas, ut interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est, et non negavit: Quia non sum ego Christus* (Joan. I, 19, 20): cum tamen ei flaret favor popularis, et blandiretur existimatio communis, non ut Christum prædicaret se esse, sed ut credentibus tantum non contradiceret. Sed **1020** et alias cum discipuli ejus dicerent ei, *Rabbi, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eam*: nunquid hoc vento potuit agitari, aut de sua desertione, et alterius frequentia et gloria, ad dolorem vel invidiam moveri? Imo constantia immobili ventum repellens et frangens, respondit: *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quia dixerim, Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum* (Joan. III, 26, 28).

3. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitutum?* Laudaverat eum de constantia animi, et nunc laudat de contemptu corporis sui, ac postremo de superexcellenti gratiæ prophetalis, atque dignitate angelici officii et nominis. His etenim duobus gradibus spiritualia ac divina nititur humilitas humana; si videlicet adversus irruentium tentationum ventos immobilis persistat, et desiderio spiritualium bonorum corpus affligat. Sicut enim in initiis, ut vincamus tentationes, corpus est castigandum, ne regnet in eo peccatum: sic etiam victis tentationibus in eodem tamen est persistendum, non solum metu recidendi, sed etiam desiderio proficienti: ut scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fiat, et quanto levius ac subtilius vinculum gestat, tanto ad spiritualia liberior assurgat. Joannes qui antequam exiret de ventre, sancificatus erat, cui illud dicere competeat: *Ab infantia mea mecum crevit sanctitas et de utero matris meæ egressa est mecum* (Job. XXXI, 18); quem nullus tentationis ventus agitare poterat; nec mollibus tamen vestiebatur, nec suavibus vescebatur; sciens utique, quia sicut peccatoribus, et sancti fiant, sic sanctis ut sanctiores fiant, necessaria est severior vivendi disciplina. Nunc autem Deo gratias, qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriam, sine poenitentia veniam, sine opere justitiam, saucitiam sine labore; deliciis carnalibus simul et